

manu pictoriâ duodecim horarum numeros eo modo quo  
in horologiis scribi vulgò solent, hâc solâ differentiâ, (quam  
positus orbiculi arbitrarius facile suppeditabat) ut, quâ later-  
næ interiora respiciebat, numeri horæ sextæ in summo, duo-  
decimæ in imo extarent, ac cæterarum numeri eo se conse-  
querentur ordine, quem num. 1. Fig. 46. commonstrat. Hoc  
positu intra foramen circulare unum afferculi consueti firma-  
tus capsulâ quadam ex lamina ferrea paratâ eidemque affer-  
culo utrinque affixâ muniebatur, cujus usus haut alias erat  
futurus, quâm ut operculum reciperet num. 2. delineatum,  
cujus ambitus è simili lamina factus, fundus autem vitreus  
erat & in hoc ipso delineatus index B perspicuus, partibus cæ-  
teris hunc orbiculariter ambientibus opacatis, extimo verò  
annulo iterum perspicuo relicto, utpote per quem numeri  
orbiculo A inscripti & immobiles tralucere debebant. Huic  
operculo B in extimo margine curavimus ad ferruminari an-  
nulum orichalceum in denticulos 48. divisum, ita ut inver-  
sum & capsulæ A superimpositum eâ formâ conspicendum  
nobis tergum obverteret, quam num. 3. sub literâ conversa  
B ostendit: eratque operculum hoc suæ capsulæ dituturno  
attritu ita adaptatum, ut circa ipsam in orbem quâm facilli-  
mè ageretur, unaque adeò index perspicuus operculi fundo  
inscriptus; horariis interim numeris in capsulæ vitreo pari-  
ter fundo immotis existentibus & per operculi fundum mo-  
bilem traluentibus. Porrò denticulis operculi verticaliter  
erecti implicuimus rotulam orichalceam aliam C horizon-  
taliter positam ambitûs omnino æqualis & in denticulos to-  
tidem h. e. 48. pariter divisi. Ex hujus rotulæ medio descen-  
dit per foramen in laternæ lamina eum in finem factum (cæ-  
tera enim omnia, nempe capsula tota A B & rotula C, intra  
laternam abscondita sunt) stylus ferreus C D, infernè qua-  
drato foraminulo, tanquam matrice quadam excavatus, quâ  
horologii suppositi axiculus indicem ordinariè circumdu-  
cens, recipitur. Horologium hoc ex portatilium genere est  
&